

✠ C 88

15 880





led

Sammelband

III



9.

MEDITATIO  
PASSIONIS  
ET MORTIS DOMINI  
NOSTRI IESU  
CHRISTI, DEI ET MA-  
RIÆ SEMPERVIRGINIS  
FILII,

Dedicata

*Amplissimis Viris, sapientia, pietate, eru-  
ditiōe, ac virtute Ornatiss. DD. Consulibus & Se-  
natoribus, Reiq; metallicae praefectis Clarissimis,  
Reipubl. Mariebergensis, Dominis &  
Patronis suis aeterna reuerentia  
colendis:*

*Ab Autore*

**Michaële Musculo**

Mariebergensi.

*Cum non sis autor, cui forma est, carminis huius  
Musculo, quo iure hoc dixero esse tuum?*

L I P S I Æ

Iohannes Rhamba excudebat 1572.

*Reuerenti Do Viro Egidio Schuman  
Diacono Ecclæ Mariebergensis, et  
amicitiæ ergo.*



O D E  
Ad amplifs. & ornatifs. Vir  
ros, DD. Consules & Senatores,  
Reicq̃ metallicæ præfectos, &c.

L Ydi non ego munera  
Regis mitto, P A T R E S, diuite dextera:  
Vel quas sub placidis Tagus  
Vndis diuitias, occulit aurifer:  
Venam pauperis ingeni  
C L A R I consilij, excipite hanc, P A T R E S.  
Maiori fluet impetu,  
Si nobis placida mente fauebitis.  
Sic crescat mea pagina:  
Sic vos fama uehat lucidum ad æthera.  
Contingat patriæ bonum  
Vobis imperium: vena Metallica  
Duplo fœnore floreat,  
Atq̃ imber foueas irriget aureus.  
At præsentia candidi,  
Si nostra hæc hilari fronte uidebitis,  
Hunc dum duxero spiritum,  
Non uestri benefacti immemor arguar.

V. P.

addictifs.

Michael Musculus  
Mariebergensis.



Meditatio  
PASSIONIS ET  
MORTIS SALVATO-  
RIS ET REDEMPTORIS  
NOSTRI IESV CHRISTI.

**T**Empora purpurei rediere tepentia veris,  
Aspera mitescit Zephyris spirantibus aura,  
Arboribusq; uirent detonsæ frigore frondes,  
Quæq; diu latuit bruma torpentibus agris  
Herba, virescenti rursus se culmine tollit,  
Gramineoq; uagas obducit margine ripas.  
Ipsa serena poli facies, aut flumen, amœnos  
Vel fontes, vario uel prata nitentia flore,  
Visere uel gelidas suadet sub vallibus umbras.  
Quid mihi concipiat pectus? quo carmine primum  
Ordiam? aut recinam dulces Ericyna calores  
Alma tuos, Lemnij uel vincula ferrea claudi,  
Vincla tuo religata toro, num furta Promethei,  
Aut volucres referam illius, mortalibus agris  
Qui primum ignotas deduxit ab æthere flammæ?  
Sed nuper melius, cum me sopor altus haberet,  
Admonuit. Vir erat multo spectabilis auro,  
Collo cæsaries roseo ueneranda fluebat,  
Ima uidebatur talos obducere palla,  
Candida, quale solet nix intemerata nitere.



Vultus erat, qualem præfert Latonia luna.  
 Obstupui, tremefacta gelu per membra cucurrit.  
 Abstulit ille mihi, quem fecerat ante, timorem,  
 Reddidit & tali mentem sermone pauenti:  
 Salue cura Dei, uanasq; è pectore curas  
 Excute: quid dubitas? magno noua carmina Christo  
 Accelera, tibi qui damnatam morte salutem  
 Restituit propria, patrio cæloq; beauit  
 Teq; tuumq; genus, qui persuadente Dracone,  
 Lethiferos uetita carpsistis ab arbore fructus,  
 Dixit: & in tenues euavidus exijt auras.  
 Ergo Deus, nutu cæli qui sidera torques,  
 Tu mihi carmen eris, memori tibi pectore laudes  
 Exoluam, modo tu conanti suffice vires,  
 Nate D E I viui nostris allabere cœptis.  
 Non ego Parnasi memorabo cacumina celsi  
 Et loca, qua fontis liquido pede profilit vnda  
 Castalij, veterum nugas in carmine uatum.  
 Pange D E O laudes, & carmina pange Thalia.

**T**Empus erat summo cum victima grata parenti,  
 Saluator caderet, legisq; minatia iura  
 Impleret, patriæq; redemptos redderet aula:  
 Iamq; dies infanda aderat, iubet ipse parari  
 Supremam cœnam, venturæ conscius horæ.  
 Consedere toris, dapibusq; oneratur auitis  
 Mensa, suis cum sic Dominus subtristis alumnis  
 Infit, & has alto ducit de pectore voces:  
 Proditor ecce meæ mensæ meus assidet, ille  
 O felix, si non natus foret: Impius exin

Accis



Accipiens bolum Sathanan accepit & ipsum,  
Iudas, decessit mensa, sociosq; reliquit.  
Sic ritu patrio atq; nouo, noua caena peracta est.

I Amq; fere medium piceo pulsabat Olympum  
Nox curru, quando volucresq; feræq; quiescunt,  
Quando silent campi, & sylua, silet arduus æther:  
Chara D E I soboles, oras cum mœsta petebat  
Montis Oliuiferi, nulla comitante caterua,  
Discipulis tribus exceptis, tendebat & hortum  
Ad Gethsemenium, sed mens præsaga futura  
Tristitiæ, trepidat, corde atq; exæstuat imo.  
Ille graui luctu pressus, sic voce profatur:  
Mortis ad usq; diem mihi spiritus angitur, alta  
Nocte uelut pectus stupet, heu dolor ultima vitam  
Tollere fata mihi properant: num lumina blando  
Vita sopore natant tali sub sorte? Parentem  
Auxilium miseris, agite, implorate querelis,  
Ne vos fortè aliqua incautos tentatio uexet.  
Deserit hos iterum vigilantes maximus Heros,  
Alloquiturq; Deum summum: Pater optime cedant,  
Cedant, sed tibi si placitum, mea pocula mortis.  
Vix ea fatus erat, cum clauditur undiq; telis,  
Et facibus: mediusq; subis ô perfide Iuda,  
Quid miser heu geris arma? parum rationis in armis,  
Quid Dominum prodis? quæ te dementia capit?  
Saxa tibi, ferrumq; rigens, præcordia claudunt,  
Qui tantum molire nefas, tu talia libas  
Oscula? perfidiam & scelus heu sub pectore uersas.



**H**inc armata cohors rapiunt post terga reuinctum,  
Ad Caipham, & magno regem clamore lacesunt.  
Sed Petrus Domini casu perterritus isto,  
Auxilium ut ferret, vagina liberat ensem,  
Agmine permistus medio, ferus abscidit aurem,  
Et mutilum Malchæ tempus tellure reliquit  
Prostrato, & gladium Domino increpitante recondit.  
Atq; illum longe sequitur, vestigia seruans.  
Aspera turba feris, scopulisq; ferocior altis,  
Insontem cumulat maledictis ante tribunal,  
Omnipotentem accusat homo, sons crimine cassum.

**I**Nterea præses manibus post terga ligatum,  
Talibus aggreditur: quæ te mala fata fatigant?  
Dogmate quo spargis populum? tibi & vnde potestas  
Illa datur? Dominus nihil, ac obmutuit ore  
Impavidus presso: sed cum de dogmate præses  
Sollicitus foret, hæc contra **D E V S**: exige ab illis,  
Qui nostri comites, qui me audiuerunt loquentem.  
Concitus his quidam fictas parasitus in iras,  
Maxillam colaphi malesanus uerbere stringit,  
Pergereq; hortatur præses, quo sanguine cretus,  
Filius anne **D E I** sobolesq; sit illa Tonantis:  
Respondet Christus: dixisti uerè ego patris  
Progenies æterna **D E I**, qui cuncta gubernat.

**H**inc Iudæa cohors, furibunda & mente feroci,  
Hic cruce dignus erit, clamat, cruce tollite dignum.

His ita



*His ita transactis, tecto sese extulit isto,  
Opprobrijs diris, & fido crimine onustus.*

*As ubi fulgebat roseis aurora capillis,  
Prætori Ausonio vinctus citò traditur insons.  
Ille sagax mentis, caussarum singula solers  
Euoluit: tandem: sim crimine liber ab isto,  
Vos regem vos pro merita nece plectite uestrum,  
Insontem sententia nostra renunciat ipsum.  
Illi sed contra magno se murmure miscent,  
Cæsaris hostis eris, dicunt, si miseris illum.  
Pontius ergo suam, verbis commotus ab istis,  
Immutat mentem, cupiens sedare tumultus,  
Euinctum spinis, medium producit in agmen,  
Purpureo & regem velatum ostendit amictu.  
Quo viso, populus furijs agitatus iniquis,  
Proclamat: cruce dignus erit, cruce tollite dignum.*

*Tum reus extrahitur, lethoq; addictus Iesus,  
Arboreo, Dominus rerum, de stipite pendet.  
Diluat ut nobis contractum crimen ab ævo,  
Tartareaq; domo eripiat nigraq; palude,  
Verbera, sputa, sitim, sannas, probra, vulnera, mortem,  
Omnia pro nobis dilecti patris imago  
Sustinuit, tali ut placaret morte parentem,  
Inq; domos superas foret ut via rursus aperta.  
Declivi cælo Titan properabat in vndas  
Occiduas, quando exanimis de stirpe refixum  
Corpus humo tegitur, gelidoq; reponitur antro.*

*Tertia*



**T**ertia uix cœlum roseis subuecta quadrigis,  
Depellens terræ tenebras, effulserat Eos:  
Cum victor rursus superas emerfit in auras,  
Perdomitoq; Erebo nigrantia tartara uicit,  
Infernas leges soluit, mortisq; tremenda  
Iura potens rerum superauit ad æthera ducens  
Agmina saluatæ turbæ letantia, magnum  
Ductorem meritis Christum quæ laudibus ornant.

**A**T tu summe **D E V S** cui rerum æterna potestas,  
Qui cruce distentus, spinis redimitus acutis,  
Crimina nostra luis, sancta qui morte redemptos  
Nos cœlo reddis: nostri miserere laboris,  
Et nostris succurre malis: ad gaudia cœli  
Ereptos tandem, nos semita certa reducat.

**C O N C L U S I O M E D I T A T I O N I S .**

Qui legis hæc, Dominum Christum uoluisse memento  
Pro te pati, pro te mori.  
Nos omnes, in nos Christi agnoscamus amorem,  
Eumq; amemus mutuo.

**N. B.**



7  
F. 4018

ULB Halle 3  
002 717 190  



TA 706











9.

MEDITATIO  
PASSIONIS  
ET MORTIS DOMINI  
NOSTRI IESU  
CHRISTI, DEI ET MA-  
RIÆ SEMPERVIRGINIS  
FILII,

Dedicata

*Amplissimis Viris, sapientia, pietate, eru-  
ditiōe, ac virtute Ornatiss. DD. Consulibus & Se-  
natoribus, Reiq; metallicae praefectis Clarissimis,  
Reipubl. Mariebergensis, Dominis &  
Patronis suis aeterna reuerentia  
colendis:*

*Ab Autore*

Michaelē Musculo

Mariebergensi.

*Cum non sis autor, cui forma et carminis huius*

*Musculo, quo iure hoc dixeris esse tuium?*

L I P S I Æ

Iohannes Rhamba excudebat 1572.

*Reuerendissimo Viro Egidio Schuman  
Diacono Ecclie Mariebergensis, et  
amicitiae ergo.*